

vum moerorem: non patitur hominem calamitosum, uno modo afflictum, uno in luctu perire.

Sed jam impeditur egomet, Judices, dolore animi, ne de  
hujus miseria plura dicam. Vestræ jam sunt partes, Judices;  
in vestra manfuetudine atque humanitate causam totam repo-  
no. Vos & refectione interposita<sup>55</sup>, nihil suspicantibus nobis,  
repentini in nos judices confeditis, ab accusatoribus delecti ad  
spem acerbitatis, a fortuna nobis ad præsidium innocentia  
constituti. Ut ego, quid de me populus Romanus existima-  
ret, quia severus in improbos fueram, laboravi, &, quæ pri-  
ma innocentia mihi defensio est oblata, suscepisti: sic vos seve-  
ritatem judiciorum, quæ per hos menses in homines audac-  
fimos facta est, lenitate ac misericordia mitigate. Hoc cum  
impetrare a vobis ipsa causa debet: tum est vestri animi, at-  
que virtutis declarare, non esse eos vos, ad quos potissimum  
interposita refectione, devenire convenerit. In quo ego, Ju-  
dices, vos, quantum meus amor in vos postulat, tantum hor-  
tor, ut communis studio, quoniam in republica conjuncti su-  
mus, manfuetudine & misericordia vestra falsam a nobis cru-  
delitatem famam repellamus.

*36 Rejectione interposita* [Facile est intellegere, unius accusatoris in crimen conjurationis rejectionem judicium fuisse. Verilime est autem in rejectorum locum eos deligi solitos ab accusatore quos pataret de reo se ferme acutus, quam Cicero ex accusatoris mente, *accusatibus appellat*: judicium autem gratiam et clementiam accupatur in causa, quod subiungit: *A fortuna nobis ad praesidium innocentiae constituit*. Et infra *ad sefatu animi, atque virtutis, declarare non est esse vos, ad quas potissimum, interposita, deveneri conuerit*. Quo loco significat, si crudelis judicis accusator delegit, eratice in delectu: *quoniam enim delegit, crudelitate longe debet*: quem enim delegit, crudelitate longe debet. *Item*.

PRO

A. LICINIO ARCHIA  
POETA.  
ORATIO XXVI.

## A R G U M E N T U M

**A**rebias, magni nominis poeta, Antiochenus, Romanum venientem anno ubi 648. & ab Heraclienibus civitate donatus integratim Luculli, Romanam etiam civitatem adepitus est lege Plautia Papiria, anno 661. Sed elapsis vixinti & octo annis, Gratus quidam Archia litrem intendit de civitate, ex lege, ut opinor, Papia. Cicero Archiam hac oratione defendit. FERRATIUS.



I. **S**i quid est in me ingenii, Judices, quod sentio quam sit exiguum: aut si qua exercitatio dicidi, in qua me non infitior mediocriter esse versatum: aut, si hujuscet rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, a qua ego nullum confiteor etatis meæ tempus abhoruisse: carum rerum omnium, vel in primis hic A. Licius' fructum a me repetere prope suo iure debet. Nam quoad longissime potest mens mea recipere spatium præteriti temporis, & pueritiae memoriam recordari ultimam<sup>2</sup>, inde usque repetens, hunc video mihi principem & ad suscipiendam, & ad ingredientiam rationem horum studiorum exutissime. Quod si hac vox, hujus hortatu, præceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit: a quo id accepimus, quo cæteris opitulari, & alios servare possemus, huic

C c c 2

*A. Licinius] Nomen ex Licinia gente sumpit: cuius beneficio civis Romanus factus fuerat. Cur autem non etiam praenomen, incertum est. Idem.*

<sup>2</sup> Memoriam recordari ultimam ] Id est primam, remotissimam. De hac voce plura in Orat. de Prov. Conf. cap. 18.

profecto ipsi , quantum est situm in nobis , & opem & salutem ferre debemus .

Ac , ne qui a nobis hoc ita dici forte miretur , quod alia quedam in hoc facultas sit ingenii , neque hac dicendi ratio , aut disciplina : ne nos quidem huic cuncti studio<sup>3</sup> penitus unquam dediti sumus . Etenim omnes artes , quae ad humanitatem<sup>4</sup> pertinent , habent quoddam commune vinculum<sup>5</sup> , & quasi cognitione quadam inter se continentur .

II. Sed ne cui vestrum mirum esse videatur , me in quaestione legitima<sup>6</sup> , & in iudicio publico , cum res agatur apud praetorem populi Romani , lectissimum virum , & apud severissimos<sup>7</sup> judices , tanto conventu hominum , ac frequenter , hoc uti genere dicendi , quod non modo a consuetudine judiciorum , verum etiam a forensi sermone abhorreat : quælo a vobis , ut in hac causa mihi detis hanc veniam , accommodatam huic reo , vobis , quemadmodum spero , non molestatam ; ut me , pro summo poeta atque eruditissimo homine dicentem , hoc concursu hominum literatissimorum , hac vestra humanitate<sup>8</sup> , hoc denique praetore exerceente iudicium , patiamenti de studiis humanitatis<sup>9</sup> , ac literarum paulo loqui liberi , & in ejusmodi persona , quæ propter otium ac studium

<sup>3</sup> Ne nos quidem huic cuncti studio ] Td cuncti magnas hic turbas dat . Quid enim est cuncti ? At Festus cunctos negat dici nisi omnes coniuncti . Manutius exponit cunctis ut sit , ne nos quidem toti huic studio eloquentiae dediti sumus . Sed ne Carnades quidem mihi perficiatur cunctos totos dici , & de uno homine . Libri Eer . Memmi hi habent partim cunctos , quod respuso , parvum curare & quod perficie verum est . Pafferat . Non male corculum Galliz sive Claudius Putanus huic uni studio : sed nifl nihil mutant . Recepit id tamen in contextum Lambinus . Gratus .

<sup>4</sup> Humanitatem ] Vide Gellium , lib . XIII . cap . 17 .

<sup>5</sup> Communum vinculum ] Vide Cie . de Orat . III . 6 . Vitruvium initio lib . I . &c .

<sup>6</sup> Legitime ] De qua lex est , & que lege exercetur . Manut .

<sup>7</sup> Severissimos ] Apud quos extra cauam si quid affertur , locum habere non videtur .

Idem .

<sup>8</sup> Hoc uox humanitate ] Literarum illarum scientia , de quibus mihi seruo saturus est . Idem .

<sup>9</sup> De studiis humanitatis ] Quæ ad humanitatem informant , quæ animis humanitatem excollunt . Significatur autem historia in primis , & poetice . Nam utraque infra laudatur .

Gellius alias quoque disciplinas humanitatis nomine comprehendit , cum eam eruditissimum vocat , & ait propemodum esse , quam nœtae Graci dicunt ; exemplis tamen valde probantibus non utitur . Et in hac ipsa oratione cum ait Cicero : Ab his artibus , quibus etas puerilis ad humanitatem informari solet : quid patemus ? mathematicæ , & physica significari ? At hac Romæ tum non colebantur : aut virili certe arte , non pueril ; & omnino a perquam paucis . Quare , quod ad Gellii opinionem attrinet , nec probare possum , nec improbare audeo : affirmam libenter sustineo . Idem .

dium minime in judiciis periculisque tractata<sup>10</sup> est , uti prope novo quodam & inusitato genere dicendi . Quod si mihi a vobis tribui , concedique sentiam : perficiam profecto , ut hunc A. Licinum non modo non segregandum , cum sit civis , a numero civium ; verum etiam , si non esset , putatis asciscendum suisse .

III. Nam ut primum ex pueris excessit Archias , atque ab iis artibus , quibus etas puerilis ad humanitatem informari solet , se ad scribendi studium contulit : primum Antiochia (nam ibi natus est , loco nobili , celebri quondam urbe & copiofa , atque eruditissimis hominibus , liberalissimisque studiis affluenti ) \* celeriter antecellere omnibus ingenii gloria contigit . Post in cæteris Asiae partibus , cunctæque Gracia , sic ejus adventus celebrabatur , ut famam ingenii expectatio hominis , expectationem ipsius adventus admiratio superaret . Erat Italia tunc plena Græcarum artium ac disciplinarum : studiisque hæc & in Latio vehementius tum colebantur , quam nunc iisdem in oppidis : & hic Roma , propter tranquillitatem reipublicæ non negligebantur . Itaque hunc & Tarentini , & Regini , & Neapolitani , civitate , ceterisque præmiis donarunt : & omnes , qui aliquid de ingenii poterant judicare , cognitione atque hostitio dignum exitimarunt .

Hac tanta celebritate fama cum esset iam absentibus notus , Romam venit , Mario consule , & Catulo . Nactus est primum consules eos , quorum alter res ad scribendum maximas , alter cum res gestas , tum etiam studium atque aures adhibere posset . Statim Luculli , cum praetextatus etiam tum Archias esset , eum domum suam receperunt . Sed etiam hoc non solum ingenii ac literarum , verum etiam naturæ atque virtutis suit , ut domus , qua hujus adolescentiæ prima fuerit , eadem esset familiarissima senectuti . Erat temporibus illis jucundus Q. Metello illi Numidico , & ejus Pio filio : audiebatur a M. Æmilio : vivebat cum Q. Catulo , & patre , & filio : a L. Crasso colebatur : Lucullus vero , & Drusum , & Octavios , & Catonem ,

<sup>10</sup> Tractata ] Id est , Oratores ejusmodi solent in iudicium . Pafferat .

personas in iudicis non tractant , quia post Lamb. celeriter ei , ut antecelleret ... contra otium studiisque sedantes , adduci non rigat .

nem, & totam Hortensiorum domum devinctam consuetudine cum teneret, afficiebatur summo honore, quod eum non solam colebant, qui aliquid percipere atque audire studebant, verum etiam, si qui forte simulabant.

IV. Interim satis longo intervallo, cum esset cum L. Lucullo in Siciliam<sup>11</sup> profectus, & cum ex ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heraclaeam: que cum esset civitas aequissimo iure ac federe<sup>12</sup>, adscribi se in eam civitatem voluit: idque, cum ipse per se dignus putaretur, tum auctoritate & gratia Luculli ab Heraclienibus impetravit. Data est civitas Silvani lege, & Carbonis, *Si qui fœderatis civitatibus adscripti fuissent: si tum, cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent: &, Si sexaginta diebus<sup>13</sup> apud prætorem effent professi*. Cum hic domicilium Romæ multos jam annos haberet, professus est apud prætorem, Q. Metellum, familiariissimum suum.

Si nihil aliud, nisi de civitate ac lege<sup>14</sup> dicimus, nihil dico amplius: causa dicta est. Quid enim horum infirmari? Grati, potest? Heraclænæ esse tum adscriptum negabis? Adeo vir summa auctoritate, & religione, & fide M. Lucullus, qui se non opinari, sed scire: non audivisse, sed vidisse: non interfuisse, sed egisse dicit. Ad sunt Heraclienes legati, nobilissimi homines: hujus judicii causa, cum mandatis, & cum publico testimonio venerunt; qui hunc adscriptum Heraclensem dicunt.

Hic tu tabulas desideras Heraclienium publicas, quas Itali-  
co

<sup>11</sup> Siciliam ] Ita Grut. & Grav. ex ms. vulgo, Ciliciam.

<sup>12</sup> Maximo iure, ac fædere ] Videatur omnino significare, meliore quadam iure, ac fædera Heraclienes fuisse, quam Tarentinos, Rhegios, Neapolitanos. Alioquin cur in eas adscribi cuperet Archias, quasi certis, in quos adscriptus anteua fuerat, negligens? quorum etiam tabula Archiam non urit, quod semper se Heraclensem esse voluerit; infra dicit, Manut.

<sup>13</sup> Sexaginta diebus ] Non est per sexaginta dies continuo proficeri, quo quid absurdius? nec post sexaginta dies, ut Lambinus

conatur reponere; sed intra sexaginta dies.

Dati autem sexaginta dies, ut ii qui longius abeant, satis scilicet haberent temporis quo Romanum venirent ad profendum. Profiteur qui edit aliquid, & publice testatus est vult, ut profiteri censum, & merces apud publicanos. Graci ἀποδόσεις, de qua voce vide Budleum in Pandectas. Pess.

<sup>14</sup> De civitate ac lege ] C. Putaneus vir doctiss. cenfer legendum, sic lege, quod Lambinus improbar, ego probbo: nam sic legereus erat Archias. Hotomos.

391  
co bello, incenso tabulario, interisse scimus omnes! Est ridiculum, ad ea, quæ habemus, nihil dicere: quærere, quæ habere non possumus: & de hominum memoria tacere, literarum memoriam flagitare: &, cum habetas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum fidemque, ea, quæ depravari nullo modo possunt, repudiare: tabulas, quas idem dicas solere corrumpi, desiderare.

At domicilium Romæ non habuit: is, qui, tot annis ante civitatem datam<sup>15</sup>, sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romæ collocavit. At non est professus. Immo vero iis tabulis professus, quæ sola ex illa professione, collegioque prætorum, obtinent publicarum tabularum auctoritatem.

V. Nam cum Appii tabulae negligentius asservatae dicerentur: Gabinii, quandiu incolumis<sup>16</sup> fuit, levitas; post damnationem, calamitas, omnem tabularum fidem resignasset<sup>17</sup>: Metellus, homo sanctissimus modestissimusque omnium, tanta diligentia fuit, ut ad L. Lentulum prætorem, & ad judices<sup>18</sup> venerit, & unius nominis litura se commotum esse dixerit. His igitur tabulis nullam litarum in nomen A. Licinii videtis.

Quæ cum ita sint, quid est, quod de ejus civitate dubitetis, præsertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit adscriptus? Etenim cum mediocribus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditis, gratuito<sup>19</sup> civitatem in Græcia homines impertiebantur, Rheginos credo, aut Locrenses, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod scenicis artificibus largiri solebant, id huic, summa ingenii prædicto gloria, noluisse. Quid? cum cæteri non modo post civitatem datam<sup>20</sup>, sed etiam post legem Papiam<sup>21</sup>, aliquo modo in eorum municipio-

<sup>15</sup> Ante civitatem datam ] Silvani lege, & Carbonis. Quæ civitatem non dabat, nisi qui domicilium in Italia, cum lex ferretur, habuisset. *Msmt.*

<sup>16</sup> Quandiu incolumis fuit ] Antequam condemnaretur. *Idem.*

<sup>17</sup> Omnen tabularum fidem resignasset ] O-

minem eius tabulis, in quibus professorum erant nomina, fidem abrogaverit. Resignasset,

inquit, quia tabulae obligabantur annulo

<sup>18</sup> Ad judices ] Ut de litura illa, quam in suis tabulis deprehenderat, judicarent. *Idem.*

<sup>19</sup> Gratuito ] Nullo corum merito, mul-  
ta, aut humili arte. *Idem.*

<sup>20</sup> Post civitatem datam ] Lege Silvani & Carbonis: ut supra.

<sup>21</sup> Post legem Papiam ] Secundam latam a C. Papio, Ne quis peregrinus pro cive se gereret. *Idem.*

piorum tabulas irreperint: hic, qui ne uititur quidem illis, in quibus est scriptus, quod semper se Heraclensem esse voluit, rejicitur?

Census nostros requiris scilicet. Est enim obscurum, proximus censoribus, hunc cum clarissimo imperatore L. Lucullo, apud exercitum<sup>22</sup> fuisse: superioribus, cum eodem quæstore fuisse in Asia: primis, Julio & Crasso, nullam populi partem esse censam. Sed, quoniam census non jus civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui sit census, ita se jam tum gesisse pro cive: iis temporibus, qua tu criminalis, ne ipsius quidem judicio eum in civium Romanorum jure esse veratum<sup>23</sup>, & testamentum sepe fecit nostris legibus, & adit hereditates civium Romanorum, & in beneficis ad æarium delatus est<sup>24</sup> a L. Lucullo prætore & consule.

VI. Quære argumenta, si qua potes: nunquam enim hic neque suo, neque amicorum judicio revincetur. Quæres a nobis, Grati, cur tantopere hoc homine deletemur. Quia suppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forensi strepitu reficiatur, & aures convicio defessa conquisciant. An tu existimas, aut

sup-

<sup>22</sup> Apud exercitum] In exercitu, & apud exercitum: non eodem sensu dicitur: in exercitu, qui miles est: apud exercitum, qui vel negotio, vel rei militari cognoscenda gratia, vel quovis portus, quam stipendiis, nomine, in exercitu est. Archias autem non miles erat, sed pro sua virtute contumelias imperatoris. *Manut.*

<sup>23</sup> Iis temporibus, que tu criminalis, ne ipsius quidem judicio in civium Romanorum iure esse veratum] Hæc mihi probescuta videantur & dividentur. Quomodo enim Archias testamentum fecit Romanorum legibus, & adit hereditates civium Romanorum, si ne suo quidem judicio cum in civium Romanorum iure est veratum? Contrarium Cicero vult offendere. Itaque ut hæc ~~ænno~~ tolatur, pro qua scribe quis, & sic interpretunge: Iis temporibus, queis tu criminalis, ne ipsius quidem judicio in civium Romanorum iure esse veratum, & testamentum sepe fecit nostris legibus. Hæc est vere sententia: illis ipsis temporibus, quibus tu contendis Archiam ipsum nondum præ se nullesse civem esse, multa pro cive gesit, testamentum fe-

cit, & quæ sequuntur. Igitar saltum est, quod tu criminalis. *Grav.*

<sup>24</sup> In beneficis ad æarium delatus est] Hunc ego morosus deferendis ad æarium, si vel bene de republica meriti essent, didici olim ex epist. 20. lib. v. Famil. in qua sic est: Quod scribitis de beneficis, scito & me tribunos militares, & praefectos, & contubernales ducas at me delatus est. Qui enim utiliter reipublice operam in bello quacunque ratione, navaverant, eorum nomina, ex bello reverbi, vel prætores, vel imperatores ad æarium deferebant. *Manut.* Deferri in beneficis ad æarium, non erat emolumenium, verum meritis honor & commendatio illarum prætoriarum apud populum Romanum præstaria illis vel ad maiora ornamenta ab republica consequenda, vel ad pericula, si quæ extinguerent, sublevanda, tamquam olim meritis, ut judicio & beneficio principum honosferentur. Sic hic Archiam a Lucullo: sic L. Cornelium Balbum a Pompejo in beneficis ad æarium delatum est, jaſtas in illorum defensione Cicero. J. Fr. Gronov. de pec. vet. II. 27. ubi vide plura. *Grav.*

suspitere nobis posse, quod quotidie dicamus in tanta varietate rerum, nisi animos nostros doctrina excolamus: aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eadem relaxemus? Ego vero fateor, me his studiis esse datum. Cæteros pudeat, si qui ita se literis abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, Judices, ut ab nullius unquam me tempore aut commodum, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocari, aut denique somnis retardarit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure succentreat, si, quantum cateris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrando, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis: quantum alii tribuant tempestivis<sup>25</sup> convivis: quantum denique aleæ, quantum pilæ; tantum mihi egomet ad hæc studia recolenda sumpfero? Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis hac quoque<sup>26</sup> confetur oratio & facultas: quæ quantacunque est in me, nunquam amicorum periculis defuit. Quæ si cui levior videtur: illa quidem certe, quæ summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam, nisi multorum præceptis, multisque literis mihi ab adolescentia suassissimæ, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem, atque honestatem: in ea autem perlequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exili parvi esse ducenda: nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicaciones, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissim. Sed pleni omnes sunt libri, plenæ sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quæ jacent in tenebris omnia, nisi literarum lumen accederet. Quam multas nobis imagines, non solum ad intuendum, verum etiam ad imitandum, fortissimorum virorum expressas

D d d  
scri-

<sup>25</sup> Tempestivis] Vide supra, pro Mure-  
ni, cap. 6.

\* V. I. Man. Lamb. crescit

<sup>26</sup> Ex his studiis hæc quoque confetur oratio & facultas] Dicendi facultas ex poeta-

rum lectione confetur, id est, pretium & ex-  
stimationem meretur, & in primis laudatur:  
a Gracis δοκιμω dicitur, quorum imitatione  
ita loqui solemus. *Budeus in Pand.*

scriptores & Græci & Latini reliquerunt? quas ego mihi semper in administranda republica proponens, animum, & mentem meam ipsa cogitatione hominum excellentium conformabam.

VII. Quæret quispiam, quid? illi ipsi summi viri, quorum virtutes literis prodita sunt, istane doctrina, quam tu laudibus effers, eruditæ fuerunt? Difficile est hoc de omnibus confirmare. Sed tamen est certum, quid respondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, & sine doctrina, naturæ ipsius habitu prope divino, per seipso & moderatos, & graves extitisse fateor. Etiam illud adjungo, sapientiam ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quædam, conformatioque doctrina: tum illud nefcio quid præclarum ac singulare solere existere. Ex hoc esse hunc numerum, quem patres nostri viderunt, divinum hominem, Africatum: ex hoc C. Lælium, L. Furium<sup>27</sup>, moderatissimos homines & continentissimos: ex hoc fortissimum virum, & illis temporibus doctrinum, M. Catonem illum senem: qui profecto si nihil ad percipiendam, colendamque virtutem literis adjuvarentur, nunquam se ad earam studium contulissent.

Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & si ex his studiis delectatio sola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi<sup>a</sup> remissionem<sup>28</sup>, humanissimam ac liberalissimam judicaretis. Nam cæteræ neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Hac studia adolescentiam<sup>b</sup> alicant<sup>29</sup>, senectutem oblectant, secundas res ornant, adverbis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Quod si ipsi hac neque attingere, neque sensu nostro gustare pos-

<sup>27</sup> L. Furium ] Philum, quem disputatem induxit Cic. in lib. de Rep.

<sup>a</sup> Grut. aduersorium

<sup>28</sup> Remissionem ] Vide P. Victorii Var. leſt. lib. XXIX. cap. 7.

<sup>b</sup> Idem. agunt

<sup>29</sup> Adolescentiam alant ] Reste, alant, de ætate que crescit. Libri veteres in modo consentiunt: habent enim omnes, agunt ut interdum necessaria conjectura videatur. Manus.

possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis videremus.

VIII. Quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit, ut Rosci morte nuper non commoveretur? qui cum esset senex mortuus, tamen, propter excellentem artem ac venustatem, videbatur omnino mori non debuisse. Ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus, celeritatemque ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, Judices, (utar enim vestra benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter attenditis) quoties ego hunc vidi, cum literam scripisset nullam, magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? Quoties revocatum eandem rem dicere, commutatis verbis, atque sententiis? Quæ vero accurate, cogitateque scripisset: ea sic vidi probari, ut ad veterum scriptorum laudem pervenirent. Hunc non ego diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus, eruditissimisque accepimus, cæterarum rerum studia, & doctrina, & præceptis, & arte constare: poetam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi divino quadam spiritu inflari<sup>30</sup>. Quare suo iure noster ille Ennius sanctos appellat poetas, quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati<sup>31</sup> nobis esse videantur.

Sit igitur, Judices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poeta nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa & solitudines voci respondent; bestiæ saepè immunes cantu flectuntur, atque considunt: nos instituti rebus optimis non poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem esse dicunt suum: Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi vero suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt. Permulti alii præterea pugnant inter se, atque contendunt.

D d. 2 IX. Ergo

\* Vix Lamb. affari flavi nostri quoque omnes libri tuerunt. Græco Inflari ] Est a mis. nostris omnibus: & viuis. id proprius ad vim Græci verbi ἀγανάρχειος, 32 Comendati] Accedo Gulielmianæ conjecturæ quod publicatur affari. Gruterus. Inv. jecturæ commodati. Gruter.

IX. Ergo illi alienum , quia poeta fuit , post mortem etiam expertunt : nos hunc vivum , qui & voluntate , & legibus noster est , repudiabimus ? Præfertim cum omne olim studium , atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam , laudemque celebrandam ? Nam & Cimbricas res adolescentes attigit , & ipsi illi C. Mario <sup>32</sup> , qui durior ad hæc studia videbatur , jucundus fuit . Neque enim quisquam est tam averlus a Muſis , qui non mandari versibus æternum furorum laborum facile præconium patiatur . Themistoclem illum , summum Athenis virum , dixisse ajunt , cum ex eo quæreretur , quod acroama , aut cuius vocem libertissime audiret : *Eius , a quo sua virtus optime prædicaretur* . Itaque ille Marius item eximie L. Plotium <sup>33</sup> dilexit : cuius ingenio putabat ea , quæ gesserat , posse celebrari .

Mithridaticum vero bellum magnum atque difficile , & in multa varietate terra marique versatum , totum ab hoc expressum est : qui libri non modo L. Lucullum , fortissimum & clarissimum virum , verum etiam populi Romani nomen illustrant . Populus enim Romanus aperuit , Lucullo imperante , Pontum , & regiis quandam opibus , & ipsa natura regionis vallatum : populi Romani exercitus , eodem duce , non maxima manu innumerabiles Armeniorum copias fudit : populi Romani laus est , urbem amicissimam Cyzicenorum , ejusdem consilio , ex omni impetu regio , ac totius belli ore ac faucibus eruptam esse , atque servatam : nostra semper feretur , & prædicabitur , L. Lucullo dimicante , cum interfessis ducibus depresso hostium classis , & incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis : nostra sunt tropæa , nostra monumenta , nostri triumphi . Quare , quorum ingenii hæc feruntur , ab his populi Romani fama celebratur . Carus fuit Africano superiori noster Ennius . Itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur esse constitutus e marmore . At iis laudibus certe non solum ipsi , qui laudantur , sed etiam populi Romani nomen ornatur . In cælum hujus proavus Cato tolitur :

<sup>32</sup> Ipsi illi C. Mario ] Qui Cimbros devicit .

<sup>33</sup> L. Plotium ] Nominatum a Suetonio inter claros rhetores . Idem .

litur : magnus honos populi Romani rebus adjungitur . Omnes denique illi Maximi , Marcelli , Fulvii , non sine communi omnium nostrum laude decorantur .

X. Ergo illum , qui hæc fecerat , Rudium hominem <sup>34</sup> maiores nostri in civitatem receperunt : nos hunc Heraclensem , multis civitatibus expetitum , in hac autem legibus constitutum , de nostra civitate ejiciens ? Nam si quis minorem gloriæ fructum putat ex Græcis versibus percipi , quam ex Latinis , vehementer errat , propterea quod Græca leguntur in omnibus fere gentibus : Latina suis finibus , exiguis sane , continentur . Quare si res hæc , quas gessimus , orbis terra regionibus desinuntur : cupere debemus , quo manuum nostrorum tela pervenerint , eodem gloriam famamque penetrare : quod cum ipsis populis , de quorum rebus scribitur , hæc ampla sunt ; tum iis certe , qui de vita , gloriæ causa , dimicant , hoc maximum & periculorum incitamentum est , & laborum .

Quam multos scriptores rerum suarum Magnus ille Alexander secum habuisse dicitur ? Atque is tamen , cum in Sigeo ad Achillis tumulum astisset , *O forunata* , inquit , adolescentis , qui tuae virtutis Homerum præconem inveneris . Et vere . Nam , nisi Illias illa extisset ; idem tumulus , qui corpus ejus contererat , nomen etiam obruerit . Quid ? noster hic Magnus <sup>35</sup> , qui cum virtute fortunam adæquavit , nonne Theophanem Mitylenæum , scriptorem rerum suarum , in concione militum civitatem donavit ? & nostri illi fortis viri , sed rustici , ac milites , dulcedine quadam gloriæ commoti , quasi participes ejusdem laudis , magno illud clamore approbaverunt ?

Itaque , credo , si civis Romanus Archias legibus non esset , ut ab aliquo imperatore civitate donaretur , perficere non potuit . Sylla , cum Hispanos & Gallos donaret , credo , hunc petentem repudiasset : quem nos in concione vidimus , cum ei

<sup>34</sup> Rudium hominem ] Rudiae oppidum Apuliae , federata civitas , quo tempore Ennius in civitatem est recessus : quæ postea colonia fuit , a Q. Fulvio Nobiliori deduxta , cuius beneficio civis R. factus est Ennius ; ut in Bruto legimus .

<sup>35</sup> Noster hic Magnus ] Ergo aderat Pompejus , qui Messala & Pupio Cosi urbem ingressus est : adeoque eodem anno habita est hæc oratio . Ferratus .

ei libellum malus poeta de populo subjecisset, quod epigramma in eum fecisset tantummodo alternis versibus longiusculis<sup>36</sup>, statim ex iis rebus, quas tunc vendebat, jubere ei præmium tribui sub ea conditione, ne quid postea scriberet. Qui sedulitatem mali poeta duxerit aliquo tamen præmio dignam, hujus ingenium & virutem in scribendo, & copiam non expetisset? Quid a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se, neque per Luculos impetravisset? qui præfertim usque eo de suis rebus scribi cuperet, ut etiam Cordubæ natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum<sup>37</sup>, tamen aures suas dederet.

XI. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest; sed præ nobis ferendum: trahimur omnes laudis studio; & optimus quisque maxime gloria dicitur. Ipsi illi philosophi, etiam illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in eo ipso, in quo prædictio-

catione-

<sup>36</sup> Alteris versibus longiusculis] Imparibus, ut in elegis. Passerat.

<sup>37</sup> Corduba natis poetis, pingue quiddam sonantibus, atque peregrinum] Quoniam fato evenire debet, ut tandem regionem tamdiu edentibus infercerit? Non enim postum, quin de poetis Hispanis, Murei iudicium describant & prefatione in Catullum. „Hispani poetae, præcipue & Romani sermonis elegantiam, contaminarunt, &c., cum inflatum quedam, & tumidum, & gentis sue moribus, congruens inventissent orationis genus, a verterunt exemplo suo ceteros a recta illa, & simplici, in qua præcipua poëria sua sita laus est, & in quam superiores omni studio incubuerant, imitatione natura. Itaque fere post Augusti tempora, ut quisque verum maxime inflaverat, sententiam maximus contorserat, et denique modo locutus fuerat, quo nemo serio soleret loqui, ita in prelio haberi cœpit. Quin etiam fuscatus ille splendor, & adulterina eloquentia species ita nomalorum, qui vera eloquentia gustum non habent, occasavit animos, ut his quoque temporibus exterierint Hispani duo, homines, ceterorum & in primis eruditri, & scriptis editis nobiles; quorum alter Lancaus Virgilio, alter Martialem Catullo, anteponere veritus non est. Quorum ab

utroque ita dissentio, ut, si quis deus posse refutare mihi optionemque faciat, non dicam Virgilii, cui video injuriam facere, si eum ullo modo cum ceteris compararem, sed Ennius alicuius, aut Furii, quam Lucani, multo similem in scribendo effe me maius: inter Martialis autem & Catulli scripta tantum intensius arbitrari, quantum inter dicta scura alicuius in trivio, & inter liberales ingenii hominis jocos, multo urbanitas alpersa late. Neque vero negaverim, multa in Martiale quoque non inficienter dicta repertiri: sed profecto deteriorum longe numerus major est. Latina quidem orationis nativa illa, minimeque quasi pigmentis infusa germanitas in Martiale nulla est, in Catullo præcipua. „Ut dixerem ab instituto, atque hunc, contra ac sum foliis, paucum affiserem, induxit me, & prope cogit orationis torus mira fruariate coniuncta utilitas. Quam enim hac scripta candide! quam vere! quam opportune hinc avo, nostrisque hominibus! Huc illos voco feliciorum scriptorum artifices, quos prava imitatio necesse quæ intemperies atque contagio privat omnino bono nature; & cum incuratura styli parum, vel nihil ponant, sibi ac mulierculis canant. Olivetus.

cationem, nobilitatemque despiciunt, prædicari de se, ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus, summus ille vir & imperator, Acci, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Jam vero ille, qui cum Ætolis, Ennio comite, bellavit, Fulvius, non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Quare, in qua urbe imperatores prope armati poetarum nomen & Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togari judices a Musarum honore, & a poetarum salute abhorre.

Atque, ut id libertius faciat, jam me vobis, Judices, indicabo, & de meo quodam amore gloriæ, nimis acri fortasse, verumtamen honesto, vobis confitebor. Nam, quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute hujus urbis atque imperii, & pro vita civium, proque universa republi- ea gessimus, attigit hic versibus, atque inchoavit: quibus auditis, quod mihi magna res & jucunda visa est, hunc ad perficiendum hortatus sum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, Judices, quid est, quod in hoc tam exiguo vita curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus?

Certe, si nihil animus presentiret in posterum, & si, quibus regionibus vita spatiū circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas: nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigilisque angeretur, neque toties de vita ipsa dimicaret. Nunc insidet quædam in optimo quoque virtus, qua noctes & dies animum gloriæ stimulis concitat, atque admonet, non cum vita tempore esse dimittendam<sup>38</sup> commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adæquandam.

XII. An vero tam parvi animi videamur esse omnes, qui in republica, atque in his vita periculis laboribusque verlatur, ut, cum, usque ad extrellum spatiū, nullum tranquillum atque otiosum spiritum duxerimus, nobiscum simul

<sup>38</sup> Non cum vita tempore esse dimiteremus. Lambini. Repugnant omnes verdam] Sic repofui, scripture veteris velligia teres libri, quanvis P. Manutius hanc conjecturam Lambini receperit. Gra-

moritura omnia arbitremur? An cum statuas & imagines, non animorum simulacra, sed corporum, studiose multi summi homines reliquerint; confiliorum relinquere, ac virtutum nostrarum effigiem nonne multo malle debemus, summis ingenii expressam & politam? Ego vero omnia, quæ gerebam, jam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terra memoriam sempiternam. Hæc vero sive a meo sensu post mortem absutura est, sive, ut sapientissimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebit: nunc quidem certe cogitatione quadam, speque delector.

Quare conservate, Judices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari tum dignitate, tum etiam venustate<sup>39</sup>: ingenio autem tanto, quantum id convenit existimari, quod summorum hominum ingenii expetitum esse videatis; causa vero ejusmodi, quæ beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quæ cum ita sint: petimus a vobis, Judices, si qua<sup>40</sup> non modo humana<sup>41</sup>, verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet esse: ut eum, qui vos, qui vestros imperatores, qui populi Romani res gestas semper ornavit: qui etiam his recentibus nostris, vestrisque domesticis periculis æternum se testimonium laudum daturum esse profiterit: quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti, atque disti: sic in vestram accipiatis fidem, ut humanitate velut levatus potius, quam acerbitate violatus esse videatur. Quæ de causa pro mea consuetudine breviter, simpliciterque dixi,

<sup>39</sup> Tum dignitate, tum venustate] Pro venustate legendum vetustate. Hoc enim dicit: pudorem & integratatem morum in Archia comprobari amicorum ipsius tum dignitate, tum venustate. Luculli enim, & Metelli, & Catuli, & alii præterea viri gravissimi, quos ante nominarat, non tantum Archia amici, sed veterissimi amici erant... Inepit in talibus viris, quasi in pulchellis pueris, venustatem commendant<sup>42</sup>. Miser. Var. lect. XII. 15. Hic dognat venustas, homines venustos, politos, ut apud Catulum: Et quicquid ejus hominum venustiorum.

Hi alter dicuntur beli, elegantes, culti ho-

mines, qui studiis & ingenio Archia capiuntur. Cur autem studiis in contextu Gruteri retinetur, cum tamen in notis eam vocem damnet, librariorum negligenter est tribuendum. Graeca.

<sup>40</sup> Si qua] Si affirmantis est. Virg. Dii, si qua est calo piers. Item: Si qua piers, respiciunt nomina. Paderat.

<sup>41</sup> Non modo humana] Non modo ab hominibus, sed & a diis profecta commendatio. Hominibus commendata esse debet, qui hominum laudes commendat poterit.

Dicim, quod divino afflant spiritu poete-

nde quoque sancti habentur. Idem,

401  
dixi, Judices, ea confido probata esse omnibus: quæ non fori, neque judiciali consuetudine, & de hominis ingenio, & communiter de ipsius studio locutus sum, ea, Judices, a vobis spero esse in bonam partem accepta: ab eo, qui judicium exercet, certe scio.

